



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Articulus I. De decimis Ecclesiasticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

## QVÆSTIO XXX.

### IN TITULUM XXX. DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIO- NIBUS.

2560 **C**um proximo titulo actum sit de *Parochiis*; per solutio autem *decimarum*, primitiarum, & oblationum sit de jure parochiali, merito subjicitur hic titulus, qui constat 35. cc; extat etiam in sexto, & Extravag. *Declarationes*, unicâ, inter communes. *Decima* vi vocis est decima pars quarumcunque rerum, quæ solvitur Principibus, & Sacerdotibus, ut notat Percyra in *Elucid. num. 1348.* prætermisissis porrò his, quæ pertinent ad decimas, quæ Principibus Laicis perfolvi debent ex variis rebus; agemus solum de his, quæ propriè Ecclesiastica sunt; quibus prænotatis:

#### ARTICULUS I.

##### *De decimis Ecclesiasticis.*

2561 **Q**uæstio. I. est, quid sit *Decima* juxta sacros canones? R. quòd, ut notat Sylvester V. *Decima*, juxta Hostiensem in summa de Decimis, §. I. sit omnium bonorum mobilium licitè quæsitorum pars decima Deo data, divinâ constitutione debita; sumitur ex c. I. c. *parochianos*, c. *non est*, & c. *tua nobis*, de decim.

2562 **Q**uæstio altera est, quotuplex sit decima? R. juxta Hostiensem in summa de Decimis, §. 3. quem sequuntur Lessius c. 39. num. 12. & Azor. p. I. l. 7. c. 24. q. 3. Decimam esse triplicem, nempe prædialem, personalem, & mixtam. *Prædialis* est decima pars, quæ solvitur ex fructibus prædiorum, cujusmodi sunt frumentum, vinum, olera: item ex piscinis, molendinis, ædium elocatione, & similibus; quia vox, *prædium*, illa omnia complectitur. *Personalis* est decima pars fructuum provenientium ex aliqua industria, vel opera personæ, v. g. ex negotiatione, militia, venatione, opificio, famulatu, & ex cujusvis alterius rei disciplina, vel arte, in qua quis operatur. *Mixta* est, quæ partim prædialis, partim personalis

censetur, & est decima pars fructuum provenientium ex animantibus, quæ in nostris arvis, & pascuis nostrâ curâ, & diligentia nutrimus, quales sunt foetus pecorum, ovium, & porcorum, ac eorum fructus, ut lac, butyrum, caseus, lana, pellis. Nam hæc & similia partim ex prædiis, partim ex industria proveniunt. Ex quibus patet *Decimæ* appellatione secundum jus canonicum venire omnium bonorum mobilium, sive fructuum jure quæsitorum partem decimam, quæ ministris Ecclesiæ quotannis perfolvitur.

Circa istam Decimæ divisionem not. à 2563 *gloss. in c. Ad Apostolica. 20. h. t. V. personales*, admitti duas tantum species *decimæ*, personales, & reales, seu prædiales, quibus annumerat decimas ex animalibus pendendas. Unde juxta hanc opinionem decimæ reales, seu *prædiales* erunt, quæ debentur ex fructibus prædiorum, & animalium; & *personales*, quæ ex fructibus, seu lucris humanâ solum industriâ, & ministerio quæsitis, ut sunt, quæ ab actionibus merè personalibus, sive corporalibus, sive doctrinalibus, vel artificialibus proveniunt, inter quas etiam venatio, & piscario computandæ sunt; & pro hac opinione refertur etiam Suarez tom. I. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 9. n. 4.

Præter hæc not. inter decimas reales 2564 quasdam esse Majores, alias Minores; alias profanas, & Ecclesiasticas. *Majores* sunt, quæ ex frumento, vino, & similibus solvuntur; *Minores*; quæ ex hortis, foetibus animalium, & ejusmodi minutionibus; *profanæ* sunt quoddam genus tributi, quod olim seculares domini prædiis subditorum imponere solebant: Ecclesiasticæ verò sunt duplicis generis, quædam enim sunt, quæ juxta primæviam suam institutionem, & originem, Ecclesiæ Ministris penduntur, tanquam stipendium, ob spiritualia eorum ministeria, seu functiones, ideoque propriè spirituales,

les, & Ecclesiasticæ dicuntur: alia verò sunt, quæ à titulo spiritualis officii separata, ab Ecclesia, ob iustam causam, etiam laicis personis conceduntur, ideoque *laicales Decimæ* appellari solent.

2565 Not. 2. in dubio, utrum dicimæ sint profane, an Ecclesiasticæ? præsumendum potius, esse Ecclesiasticas apud Christianos, qui semper ex prædiis suis Ecclesiæ pendere decimas ab antiquo solebant; idemque est, si dubitetur, num jus decimandi ad Clericos, an verò ad Laicos spectet: vel utrum sint decimæ spirituales, an laicales, sive laicis in perpetuum concessæ? mutatio enim, sive alienatio est quid facti, & cedit in præjudicium Ecclesiæ, ideoque non præsumi, sed probari debet; sic Layman c. 1. n. 6.

2566 Quæstio est. 3. quo jure Decimæ debeantur Ministris Ecclesiæ? Ad hanc quæstionem apud Pereyram in Elucidario num. 1348. §. Mercatores, sic distinguit Suarez de Decimis, c. 10. affirmans obligationem alendi ministros esse de jure naturali explicato, & confirmato per Christum, & Apostolos: modum verò, seu determinationem quotæ esse de jure Ecclesiastico exemplariter constitutum, ad instar juris divini legis veteris. Quantum igitur spectant ad stipendium decenti sustentationi Ministrorum Ecclesiæ necessarium, si aliunde illis ex aliis bonis Ecclesiæ, cui serviunt, provisum non sit, omnino de jure divino debita sunt, exigente etiam jure naturali; cum intercedat contractus onerosus, fundatus etiam in divino eloquio, *Matth. 10. vers. 10. ibi: dignus est operarius cibo suo, & 1. Corinth. 9. vers. 7. quis militat suis stipendiis unquam?* & *ibid. vers. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus;* & *vers. 17. nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant:* sic & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiaverunt, *de Evangelio vivere,* quoad reliqua verò, nempe quotam, seu hanc determinatam partem præstandam, est juris tantum Ecclesiastici, non utriusque, sed ut rectè notat Suarez *sub cit. exemplariter* ad legem veterem constitutam.

Tom. III.

De his agitur. 1. in c. *Parochianos* 14. 2567 h. 2. ubi Honorius III. Remensi Archiepiscopo scribens, *Parochianos*, inquit, tuos ad solvendas decimas Ecclesiis quibus eas debent, Ecclesiastica debes severitate compellere; cum decimæ non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutæ, quasi debitum exigi possunt; item c. *Tua*. 25. eod. ubi Innocentius III. ad Vercellensem Episcopum: *cum Laicis nulla*, inquit, *sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divina constitutione debentur;* & prius c. *extranmissa*. 23. eod. ubi, cum Coelestinus III. ex transmissa querela Rectoris Ecclesiæ N. intellexisset, quòd cum Miles molendinum quoddam ad ventum, in terra quadam, infra fines Parochiæ, de cujus terræ proventibus decimas solebat Ecclesia percipere, memorata construxit, de ipsius proventibus, vel obventionibus decimas ei solvere contradicens, in salutis suæ periculum detinere non veretur, constituit, *quia fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur:* Mandamus, quatenus N. militem ad solutionem decimarum de his, quæ de molendino ad ventum proveniunt, sine diminutione aliqua, compellatis.

Ex his juribus aperte sequitur, decimas 2568 Ecclesiis parochialibus esse debitas à parochianis; & quidem *institutione divina*, ut dicitur c. *Parochianos*, & c. *Tua*; quod intellige juxta dicta num. 2566. nec obstat, quod dicatur *quasi debitum* exigi posse; nam, ut notat *gloss. V. ead.* illud *quasi* non est similitudinarium, sed expressivum veritatis, prout hoc pluribus exponit Barbosa *de dictionib. usufrequent. V. quasi;* & constat ab exemplo ibi: *quasi Unigeniti à Patre.* Omnes igitur, qui exempti non sunt, Ecclesiis Parochialibus, ac earum Rectoribus, persolvere decimas obligati sunt in conscientia; c. *à nobis*. 24. h. 1.

§. 1.

De quibus rebus danda sint decimæ?

Quid in hoc dicendum sit de jure com. 2569  
muni, constat ex dictis, & proximè  
Ecce 2 cit.

*cit. c. ex transmissa, in num. 2567. ibi: fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, erogare tenetur; ubi specialiter fit mentio etiam de acquisitis ex molendino aduentum; id, quod de acquisitis non tantum ex molendinis; sed etiam ex piscatione, fœno, & lana dicitur c. pervenit. 5. eod. de apibus, & omni fructu, c. Nuntios. 6. eod. de omnibus prædiorum fructibus, licet natis ex seminibus diverso tempore sparsis, c. Ex parte. 21. eod. de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ, ita ut si qui de his ea solvere neglexerint, Ecclesiastica districtione debeant percelli, c. non est. 22. eod. de decimis etiam personalibus ex negotiatione, artificio, advocatione, &c. ut colligitur ex dict. c. Non est; ubi ferè in omnibus dictis iuribus dicitur, etiam per excommunicationem cogendos esse ab Ordinariis, & Prælati Ecclesiasticis eos, qui recusant solutionem decimarum.*

2570 Difficultas est. 1. an decimæ persolvi debeant ex rebus, & acquisitis etiam illicitè? 2. an ex hereditate, legatis, donationibus? 3. an solvendæ prædiales integrè, nimirum non deductis prius expensis? 4. an sic quoque solvendæ sint decimæ personales? Ad 1. videtur affirmandum ex c. Non est. 22. h. t. ibi: sicut revera SS. PP. in suis tradiderunt scripturis, de ipsa etiam militia decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; & ea quidem verba haberi in quibusdam exemplaribus; sed esse mendum, & pro militia, legendum, de ipsa etiam militia, ut reperitur in lectione apud Gonzalez dict. c. Non est, & in aliis. Unde ad quæstionem resolvendam distinguendum est inter decimas prædiales, & personales; in prædialibus enim non attenditur in ordine ad debitum solvendi decimas, an quis possideat bonâ, vel malâ fide; sed ipsum prædium, seu terra reddens fructum ex munere Dei, ut habetur c. non est, ibi: non est in potestate hominum, cum plantant arbores, vel aliquaterræ semina mandant, quid eis satio, vel plantatio sit redditura? cum neque, qui plantat aliquid, plenè faciat, neque qui rigat; sed Deus det incrementum. Hinc quoniam ipsum

prædium obligatum est ad reddendas decimas, possessor ejus, esto illicitè, ac malo titulo teneat, ad eas persolvendas adstringitur, ratione rei possessæ, non minus, quàm si penes verum dominum essent; sic Azor p. 1. l. 7. c. 24. q. 13. cum gloss. in 16. q. 1. c. decimæ. 66. V. Negotio. De personalibus autem dicendum, ex his, quæ talis persona acquirit illicitè, ac injustè cum onere restituendi, non deberi decimas ab illa, eum de alieno justè non possit disponere; de acceptis verò ex turpi opere (v. g. meretricio, assassinio, prodicione) ubi in accipientem transfertur dominium, persè loquendo, decimæ exigì possunt; cum canones complectantur omnia æquisita nimirum in proprietatem; si tamen exinde timeretur, uti prudenter potest, scandalum, tanquam Ecclesiæ ejusmodi vitiosos lucrandi modos approbaret, exigendæ non essent; de quo V. S. Thomas. 2. 2. q. 87. a. 2. ad. 2.

Ad 2. videtur affirmandum; cum canonones universaliter loquantur, de omnibus, quæ licitè potest acquirere, c. ex transmissa, in num. 2567. & de residuo, quasi de lucro, decimas persolvendas, c. Pastoralis. 28. eod. at in hoc veniunt acquisita titulo lucrativo, hereditas, legatum, donum, &c. quamvis gloss. in c. Pastoralis. V. quasi de lucro limitet ad sola acquisita mobilia; cum immobilia non veniant nomine frugum: Sed probabilius negatur cum Suarez l. 1. c. 31. num. 6. & aliis; quia nullum extat jus statuens deberi decimas ex his, quæ nobis mere passivè obveniunt, alterius voluntate; in omnibus enim loquitur solum de his, quæ ipsi acquirimus vel ex immobilium fructibus & emolumentis, vel labore, ac industriâ; & hoc sensu accipiendum est de omnibus, quæ licitè acquirimus nimirum activè; & non mere passivè ex sola dispositione alterius benevola. Aliud est, quòd, si fundus alicui donatus, vel legatus est, cui prius incumbat onus solvendi decimas, etiam de illo deinceps suo tempore donatarius, vel legatarius decimas solvere debeat; vel si transivit ad eum pendentes adhuc fructibus, ubi collecti fuerint; quia res tranfit cum suo onere.

Ad 3. & decimas prædiales integre sol- 2572  
ven-

ventas, nimirum non deductis expensis, tributis, pensionibus, censibus, aliisque debitis; probatur. 1. ex c. *cum homines*. 7. h. t. ibi: sub anathematis districtione illos cogatis, tam de fructibus, quam de nutrimentis animalium suorum, *sine fraude, & diminutione aliqua, in Autumno*, sicut moris est, *statim collectis fructibus, & aliis temporibus*, prout debent, persolvant, atque *de subtractis, & retentis dignam satisfactionem exhibeant*; loquitur autem textus de casu, quo solvere decimas obligati, *antequam Ecclesie decimas ad eam spectantes persolverent, servientibus, & mercenariis suis de frugibus non decimatis debita totius anni, pro servitio suo, impendebant, tunc demum de residuo decimam persolventes.*

2573 Probatur. 2. ex c. *Tua nobis*. 26. eod. cum enim quidam Laici diocesis Vercellensis, *semen, & sumptus, qui fuerint in agricultura, primitus deducendos, & de residuo impendendam esse decimam assererent*: alii vero de portione fructuum, quam à colonis accipiunt, *partem decimae separantes, eam capellanis suis, vel aliis Clericis, seu Ecclesiis; aut etiam pauperibus conferrent, vel in usus alios pro sua voluntate converterent*: nonnulli clericorum vitam tam abominabilem, decimas eis ob hoc subtrahere non vererentur: quidam insuper asserentes, se possessiones, & omnia jura sua cum omni honore atque districtu per imperialem concessionem adeptos, decimas hujusmodi generaliter detinere praesumerent: Pontifex statuit, & loci Episcopo mandavit, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam praediorum decimas Ecclesiis, & clericis suae diocesis exhibere tenentur, *ad eas cum integritate reddendas, sublato appellationis diffugio, auctoritate Apostolica, per excommunicationis, vel interdicti sententiam compellendi liberam habeat facultatem*. Praeterea, ut Clericos suae diocesis, de quibus fuerit auditorio suo querela proposita de decimis antedictis, & fructibus perceptis ex eis, ad plenam sub suo examine justitiam faciendam compellere valeat, non obstante appellationis objectu in elusionem Ecclesiastica disciplinae.

Probatur. 3. ex c. *Cum non sit*. 3. h. t. 2574 ibi: *cum non sit in homine, quod semen ferenti reddat, vel respondeat*, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat, est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; ipsum quidem mortificato semine plurimum fructuum affert, *nimis avarè quidam in decimis defraudare nituntur; census, & tributa, quae interdum indecimata praeterant, de frugibus primitus deducentes*. Cum autem *in signum universalis domini quasi quodam titulo speciali, sibi dominus decimas reservaverit*: Nos & Ecclesiarum dispendiis, & animarum periculis obviare volentes, statuimus, *ut in praerogativam domini generalis exactio nem tributorum, & censuum praecedat solutio decimarum: vel saltem hi, ad quos census, & tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit) ea per cens. Eccles. decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur.*

Ex his juribus clarè habetur decimas 2575 *praediales* (quibus, ut monuimus supra, annumerantur etiam illae, quas alii dicunt *mixtas*) solvendas esse ex fructibus, *non remanentibus post deducta alia onera, (v. g. semen, census, tributa, mercedem operarum, &c.) sed ex integris, antequam ex iis in alium finem, etiam pium, quidquam detrahatur*; ut colligitur aperte ex c. *Tua, in num. 2373*. ibi: *eam capellis suis, aut aliis Clericis, aut etiam pauperibus conferunt*; ratio redditur quia Deo debita est solutio decimarum, a fortiori, quòd Deus, cujus est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debeat, quàm dominus temporalis, *cujus statutum debitum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus, aut semine separato, necessarium esse dignoscitur cum integritate persolvi*; nimis profectò videtur iniquum, *si decimae, quas Deus in signum universalis domini sibi reddi praecipit, suas esse decimas, & primitias asserans, occasione praemissa, velex cogitata magis fraude, diminui forte valerent.*

Habetur. 2. Clericis deberi decimas 2576 propter divinum cultum; non probitatem  
Ecce 3 vita;

vita; unde tamen minus exemplares forent, si tamen, quæ debent, divina suis ministeria præstarent, ob vitam improbam non posse illis denegari, ut colligitur ex *dict. c. 26. ibi: nonnulli Clericorum vitam, & reliqua sup.*

Habetur. 3. resolutio quæstionis, quando solvi debeant? R. enim decimas esse solvendas *statim collectis fructibus*; constat ex textu in *c. Cum homines. 7. de quo num. 2573.* & ita ex hoc textu deducunt Rebuffus de decimis *q. 12. à num. 1.* ubi *ly statim* idem est, *quanto citius* possunt, ut vult *gloss. penult. in dict. c. 7. Layman in Theol. moral. l. 4. tr. 6. c. 5. num. 1. Monet. de decimis, c. 6. q. 2. num. 8.* & Azor *instit. moral. p. 1. l. 7. c. 24. q. 16.* qui tamen tenet sufficere, quod fructus sint collecti, licet granum sit cum palea; & idem Monet. ubi proxime, *num. 15.* resolvit valere consuetudinem, ut decimæ prædiales non solvantur statim, sed certo tempore.

2577 Hic tamen videtur annotandum de agnis, & vitulis, non deberi statim, ubi nati sunt; sed, cum illi nutriti sunt, nec indigent lacte materno; ita Suarez *de Relig. tom. 1. tr. 1. l. 1. c. 37. num. 6. Monet. cit. c. 6. num. 14.* & alii, assignantes rationem; quia si animalia ipsis statim natis consignarentur, esset inutilis talis decimatio, & sic melius esset illam non præstare. Debitum porro, *statim* solvendi decimas prædiales urget, absque eo, quod à Parocho petantur, sive exigantur; quia dies ipse sive tempus solutionis pro creditore interpellat; sic Layman *in Theol. moral. l. 4. tr. 4. c. 5. num. 1. in fine. Covarruv. l. 1. var. c. 17. num. 8. vers. 8. Suarez cit. l. 1. c. 36. num. 20. & c. 37. num. 2.* & ideo periculum decimarum ad ipsum debitorem spectat ita, ut, si decimæ prædiales soluta non fuerint statim, ac fructus collecti sunt, vel saltem juxta consuetudinem, monito Curato, ut decimam reciperet, & frumentum, vel vinum periret, tenetur, qui solvere, vel monere debebat, per *Rebuff. de decimis. q. 12. n. 2. & alios jam cit.*

2578 Dices: *in Cod. tit. de fructibus*; item *L. si fundus. ff. familiae eriscund.* & *L. fructus. ff. soluto matrim.* dicitur, illos tantum censerī fructus, qui remanserint *deductis expensis*: cum autem ex

*fructibus* tantum debeat decima, effici videtur non deberi ex omnibus fructibus, nisi prius deducantur expensæ, scilicet seminis æstimatio, & pretium pro colendo agro, & colligendis fructibus, vel reparanda domo, quæ lixari debet: solum enim, quæ remanent, sunt fructus. R. *fructus* dupliciter considerari posse; primò, si considerentur, secundum quod nascuntur ex terra, seu naturaliter proveniunt; deinde, secundum quod percipienti fructus naturaliter provenientes *afferunt aliquod lucrum* ultra id, quod de suo impendit; quæ distinctione posita: R. in dictis legibus nomen *fructus* accipi in sensu secundo, pro lucro proveniente fructuario ultra expensas; in sacris autem canonibus *fructus* accipi in sensu primo, pro omni eo, quod ex tali re naturaliter provenit, prout manifestum est legenti textus à nobis allatos à *num. 2572.* cum expressè inhibeant deduci prius expensas, census, tributa, & solum ex residuo solvi decimam.

Not. præterea circa tempus solvendi decimam, juxta jus civile, satis esse, quod fructus sint percepti (ut jam tunc solvi debeant) quamvis non sint planè collecti, ut habetur *L. si ejus. ff. de rei vindicat.* in ea enim dicitur: *perceptionem fructus accipere debemus*; non enim perfectè collecti; sed etiam cœpti ita percipi, ut terra continere fructus desierit, veluti si oliya, vel uva sectæ fuerint, & nondum ab aliquo vinum, vel oleum factum sit, statim ipse fructum accepisse existimandus sit, sic ibi: consuetudo tamen consulenda est.

Habetur denique. 4. quid dicendum ad quæstionem, an decima deferenda sit ad Ecclesiam, seu in horrea Clericorum, an satisfacies, si reddas in agro, vel in vinea, vel in tua domo? R. fructus indecimatōs tritici, vini, paleæ, & similia non esse mittendos in horrea propria, vel aliis missendos sine consensu clericorum, vel illorum, quibus decimæ debentur; quia hoc non potest sine injuria Ecclesiæ fieri; si tamen Clericus monitus noluerit decimam accipere, satisfieri, si recondantur, vel in area relinquuntur; ita Suarez *lib. 1. c. 37. anum. 7.* & alii; unde is, qui tenetur ad decimas, quantum est de jure communi, non obligatur eas deferre ad domum propriam Clericorum; cum hoc nullibi constitutum sit, ut notat *gloss. in cit.*

cit. c. cum homines, V. fructibus, cum Suarez cit. num. 61. Bonacina D. ult. de quinto Eccles. precept. q. unic. p. 4. in fine; sed in hoc spectanda est consuetudo, ut rectè monet Azor l. 7. c. 35. q. 15. & alii.

2581 Ad 4. v. de hoc agi in c. Pastoralis. 28. b. t. Consultus enim Innocentius III. ab Helienfi Episcopo, an de molendinis, & piscariis deduci possint expensæ necessariae, priusquam solvantur decimæ, sicut in negotiatione? rescripsit: expensas pro fructibus percipiendis ex illis rebus, unde proveniunt, non videri deducendas, fructus autem alienari non posse, nisi cum onere decimarum, nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persolvuntur, deducendas expensas, de proventibus decimandis, quia penes dominum permanent restauratae, ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel torus clibanus destruat; ex quo textu habetur, in decimis prædialibus non esse idem concessum, quod in personalibus; nam in his decimæ solvitur, deductis prius expensis; ut constat ex dicto c. Pastoralis, ibi: sicut est in negotiatione concessum; & licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cum ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, & de residuo, quasi de lucro decimæ persolvendas, ut si vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut qualibet merces; quam autem Barbof. in dicto c. Pastoralis. V. expensas tamen n. 4. velit, quod, ubi verbum fructus profertur à lege, semper intelligatur deductis expensis; fallit tamen. 1. in casu, de quo diximus n. fallit. 2. quando legatur alicui fundus, vel usufructus cum obligatione solvendi alteri pensionem, seu illorum fructuum partem; tunc enim expensæ deduci non debent; quia in tali legato commoditas tantum illius, cui solvenda est pars fructuum, videtur spectari: aliud est, si sine tali onere; quia tunc spectatur sola commoditas, & lucrum Legatarii; de quo V. Castropalaus tom. 2. de decimis. D. unica. p. 8. à n. 1.

§. 2.

Cui solvendæ sint decimæ?

2582 A Nte resolut. suppon. 1. olim, priusquam diœceses divisæ sunt in distin-

ctas parochias, decimæ fuisse persolutas Episcopis, ut per eos secundum merita, & necessitates dispensarentur in Clericos, Ecclesiarum talium Ministros; colligitur 1. ex 16. q. 7. c. 1. ibi: has verò decimæ sub manu Episcopi fore censimus ut ille, qui ceteris præest, omnibus justè distribuat, nec cuiquam personæ honorabilius exhibeat; unde alii scrupulose corde moveantur; sic Gregorius VII. qui etiam c. pervenit. 3. ead. caus. & quæst. sic loquitur: pervenit ad nos fama sinistra, quod quidam Episcoporum, non Sacerdotibus propriæ diœcesis, decimæ, atque Christianorum oblationes conferant. Sed potius laicalibus personis, militum videlicet, sive servitorum, vel (quod gravius est) etiam consanguineis. Unde si quis amodo Episcopus inventus fuerit hujus divini præcepti transgressor, inter maximos hereticos, & anticristos non minimus habeatur. Et sicut Nicæna Synodus de Simoniaci censuit, & qui dat Episcopus, & qui recipiunt ab eo laici, sive pretio, sive beneficio, æterni incendii ignibus deputentur; ubi post textum notatur in vulgatis codicibus huic c. appositum nomen paleæ, sed non bene, cum habeatur in omnibus manuscriptis. &c.

Suppon. 2. postquam Parochiæ intra 2583 diœceses divisæ, ac singulis Curatis, & Parochis decimæ assignatæ sunt, hoc ita de jure communi constitutum esse, ut ex illis ipsis à Curatis & Parochis quarta pars cederet Episcopo, tanquam Superiori, & Ordinario fidelium in sua diœcesi, constat ex c. Conquerente. 16. de offic. Jud. Ordin. ubi inter jura Episcopalia in recipiendo numeratur etiam quarta decimationum, c. 4. de præscript. ibi: de quarta decimæ &c. c. cum olim. 19. de censib. ibi: tam de quarta decimarum, quam de ceteris Episcopalibus tibi debeat respondere, c. quoniam. 13. b. t. ubi dicitur, decimæ novarum deberi Ecclesiæ, in cujus parochia surgunt, & has per Diœcesanum (suâ parte retentâ) eidem Ecclesiæ deberi assignari, plura de hoc Suarez l. 1. de decimis. c. 24. Layman l. 4. summe. tr. 6. c. 4. & alii: quibus positus:

Quæstio est. 1. cui debita sint decimæ 2584 prædiales? 2. quod spectato jure communi Sacrorum canonum, integrè persolvenda sint Curatis, vel Parochis, seu Rectoribus

bus Ecclesiatum, intra quarum fines prædia sunt, nisi alicubi sit alia consuetudo, ut notatur in *c. ad Apostolicæ. 20. h. t. de quo supra; constat. 1. ex cit. c. quoniam. 13. h. t. relato præced. num. deinde ex c. Cùm contingat. 29. eod. ubi, cùm Helienfis Episcopus ex Pontifice quævisset, cùm contingat interdum, in quibusdam parocciis ad quasdam Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ab antiquo pertinere perceptionem decimarum, & de novo fieri novalia in eisdem: ad quam hujus novalium decima incipiat pertinere? respondit Pontifex: quòd, cùm perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, decimæ novalium, quæ fiunt in parochiis earundem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur, nisi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationalis causa ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.*

2585 Eadem responsio probatur ex *c. Cùm in tua. 30.* Nam cùm in diocesi Beluacensi quædam Monasteria, & Ecclesiæ Conventuales in multis Parochiis majores decimas perciperent, & minutas, de quibusdam autem fructibus non persolverentur; quævisit loci Episcopus edoceri à Pontifice, utrum decimæ fructuum prædictorum ad parochiales Ecclesias, quæ nec minores recipiunt, nec minutas, an ad monasteria, & illas conventuales, quæ decimas alias percipiunt, ab antiquo debeant pertinere? respondit Pontifex: si fructus prædicti de illa terra proveniant, unde dictæ Ecclesiæ aliquos percipiebant ex decimis proventus, procul dubio decimas talium fructuum illis deberi, cùm illis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat una eademque (aliqui legunt, *una eademque res*, alii, *Ecclesia*) diverso jure censeri, alioqui Parochialibus Ecclesiis exsolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum.

2586 Ex his juribus deducitur hæc regula: quòd perceptio decimarum spectet ad Ecclesiam Parochialem, & consequenter Parochus habeat intentionem fundatam adversus quemlibet juris decimandi possessorem, aut detentorem etiam Episcopum; neque parochum aliter, quàm jus commune allegando, probare teneri eas ad se pertinere; detentorem verò, vel possessorem alium debere rationabilem causam

afferre, eamque probare, quia habet præsumptionem juris contra se.

Deducitur. 2. hanc præsumptionem, quæ stat in dicta materia pro Parochis, esse tam vehementem, ut, si Parochus Clericum, & multò magis laicum decimarum possessione spoliaret, spoliatus contra communem juris regulam non deberet restitui, nisi evidenter probaret, quòd decimarum possessionem legitime fuerit assecutus, quòd de Clericis expressè habetur *c. 2. de restit. spol.* Rationem assignat Pontifex, quia Clericus eas occupare injustè, verisimiliter præsumitur, cùm proveniant ex prædiis infra aliam parochiam constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de jure ad eandem Ecclesiam pertinere. De hoc plura dedimus *lib. 2. tit. 13. de restit. spoliat.*

Deducitur. 3. quandoque tamen fieri, quòd decimæ prædiales debeantur alteri Ecclesiæ, quàm Parochiali; constat ex dict. *c. cùm in tua*, ibi: *eis procul dubio* (nimirum Monasteriis, & Conventualibus Ecclesiis) *decimæ fructuum debentur eorum; cùm ipsi terra illa ab antiquo fuerit decimalis.* Quo autem titulo terra illa ipsi fuerit decimalis? non exprimitur; Panormitanus (relatus in Rubrica hujus *c.*) censet, quòd *titulo prescriptionis*; sed hoc determinatè non habet fundamentum in nigro, seu textu; cùm ipsis obvenire jus illud potuerit titulo foundationis, donationis, privilegii, & Pontifex in ratione decidendi *prescriptionis* nec verbulo meminerit.

Deducitur. 4. ei, cui ab antiquo debentur decimæ majores, in dubio etiam deberi *minutas* (quæ scilicet sunt ex hortis, pullis, ovis, &c. Suarez *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 34. num. 4.*) licet primò post tempus illæ proveniant, prout in dict. *c. 30.* responsum fuit à Pontifice Episcopo Beluacensi; qui dubitabat, num decimæ minutæ de rebus in illa terra deberentur iisdem Monasteriis, quibus ab antiquo illa terra decimalis erat.

Deducitur. 5. si quædam beneficia sunt legitime fundata ex decimis (nimirum deputatis certis prædiis, ex quibus eis decimæ persolvantur) eas secundum portionem assignatam deberi Beneficiario, seu habenti tale beneficium, esto habeat annexam dignitatem, personatum, vel officium



cium; constat ex c. *Ex parte*. 21. *h. t.* ubi Clemens III. pro Canonicis decidit, ut illis de omnibus prædiorum fructibus decimæ absque diminutione persolvantur, licet diversis anni partibus in eodem horro, vel agro semina sparfa fuerint.

2591 Quæstio altera est, cui debeantur decimæ personales? *R.* si alicubi adhuc sint in usu, deberi Ecclesiæ, in qua quis Sacramenta percipit; seu percipere debet; nec enim parochianus à qualibet Ecclesia recipere potest Sacramenta, quæ propriè spectant ad jus parochiale, v. g. recipere baptismum, viaticum, extremam unctionem, celebrare matrimonium, &c. Probat ex c. *Ad Apostolica*. 20. *h. t.* ubi Lucius III. Archiepiscopo Strigoniensi rescribit, æquum esse, ut illi Ecclesiæ decimæ personales reddantur à Parochianis, in qua percipiunt Sacramenta, decimæ verò messium, vel fructuum arborum, si coluerunt in alia Parochia, quàm in ea, in qua habitant, Episcopus eligat in hoc casu, quod per consuetudinem ibidem noverit observatum. Ratio etiam est, quia decimæ personales non sunt onus reale, sed merè personale, ergo à persona debentur illi Ecclesiæ, vel Rectori ejusdem, qui Sacramenta, & alia spiritualia ministrat, & à quo aliquis illa accipit; cum decimæ dentur in sustentationem illorum, qui ex officio spiritualia ministrant. Confirmari hoc potest ex 16. *q. 1. c. de decimis*. 45. ibi: *decimæ à plebibus, ubi sancta baptisnata dantur, dari debere, c. questi. 46. ead. ibi: familie eorum ibi dent decimæ, ubi infantes eorum baptizantur, & per totum anni circulum Missas audiunt, quod idem videri potest c. statuimus. 55. & c. in sacris. 56. ead. caus. & quest.*

2592 Quia verò in c. *Ad Apostolica*, relato num. *preced.* dictus Archiepiscopus Strigoniensis in ordine ad decimæ prædiales (quando prædia sita sunt in diversa parochia ab illa, in qua dominus illorum habitat) jubetur attendere consuetudinem diu obtentam (prout idem etiam habetur in c. *Cum sunt*. 18. *h. t.*) ideo, quamvis decimæ prædiales regulariter solvi debeant Ecclesiæ, intra cujus fines sita sunt; & personales, in qua Colonus recipit Sacramenta: si tamen quoad præ-

Tom. III.

diales sit consuetudo diu obtenta, ut etiam illa solvantur Ecclesiæ, in qua Colonus divina percipit, licet prædia intra fines alterius Ecclesiæ sita sint, consuetudo tenenda est; si tamen essent planè in alio Episcopatu, attendenda quidem in hoc foret consuetudo, sed non æquè facile, sicut si colonus, & prædia essent in diversis parochiis sub uno Episcopo; rationem dat textus: *quia difficile nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimæ: cum ex hoc Episcopatum fines confundi non immerito viderentur.*

Dices: ex cit. canonibus habetur, etiam Ecclesiæ baptismali solvendas esse decimæ prædiales; at non omnis baptismalis est Parochialis; ergo etiam Ecclesiæ non Parochiali solvendæ sunt decimæ prædiales, licet tantum baptismalis sit. *R.* cum regulariter Ecclesia baptismalis etiam sit parochialis, ibi per baptismalem intelligi parochialem; & ideo in jure canonico sæpius Ecclesia parochialis, nomine baptismalis intelligitur. Si tamen aliqua Ecclesia foret *baptismalis tantum*, & constaret, ei etiam certa esse prædia pro decimis assignata legitime, vel alio jure (foundationis, conventionis, &c.) competere, in eo conservanda esset.

§. 3.

De decimis Novalium.

Suppon. 1. quòd *Novale*, seu nova-  
lis ager dicatur à *novando*; & apud  
Servium, aliosque Grammaticos, esse  
arvum tunc primum ad sementem pro-  
scissum; seu, sylvam, quæ arboribus  
extirpatis ad cultum apta redditur. A-  
pud Juristas, ut sumitur L. *Sylva. §. no-  
valis. ff. de Verb. signif. est terra pro-  
scissa, quæ per annum cessat*; seu est  
ager, qui alternis annis seritur. Apud  
Canonistas, & Notarios Romani Ponti-  
ficis c. *quid per novale*, de V. S. dicitur  
ager *de novo ad agriculturam redac-  
tus, de quo non extat memoria, quod  
aliquando cultus fuisset*. Hinc *Novalis*  
appellatione venit terra de novo ad  
culturam redacta, cujus non extat me-  
moriam, quòd culta fuisset; ita ex c. *cit.*  
Efff *Miscard.*

*Mascard. de probat. conclus. 1106. Canis. tract. de decimis, c. 11. num. 1. Lamburini. de jure Abbat. D. 15. q. 18. num. 6. & Tusch. tom. 5. lit. N. conclus. 114. num. 2.* ubi affirmat, quod si ager unus pro parte fuit cultivatus, & maximè pro majori parte, non possit dici *novale*, licet quoad partem non extet memoria hominum, quod fuerit cultus.

2595 Ex hoc habetur, tria requiri ad *Novale* propriè dictum; primò, quod terra, sive locus ille noviter fuerit redactus ad culturam; secundò, quod locus talis ab hominum memoria non fuerit cultus, neque inhabitatus, ut addit Hostiens. c. 21. in fine; tertio, quod Ecclesia Parochialis nullos, vel modicos solum fructus ex tali tertia prius perceperit: nam si maguos proventus decimarum nomine prius percepit, v. g. ex pascuis, sylvis, vel domibus, quæ postea in agrum sunt redacta, non censetur talis terra, vel locus *Novale*, in ordine ad privilegium solvendi decimas; quibus præmissis:

2596 De hac quæstione agi in c. *quoniam*. 13. h. t. ubi Pontifex consultus ab Episcopo Brixienfi, quid de decimis *Novalium* in sua diocesi sit statuendum? respondit, si terræ, quæ arabiles sunt, intra certam Parochiam fuerint, ut decimas earum (suâ parte retentâ) Ecclesiæ parochiali faciat assignari, alioqui ipsas secundum discretionem à Deo datam alteri Ecclesiæ deputer, vel ad opus suum retineat.

2597 Ex hoc deducitur, 1. decimas *Novalium* deberi parochiali Ecclesiæ, intra cujus fines ea *Novalia* existunt, intellige secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, vel alio titulo, vi cuius alteri debeantur; si autem *Novalia* intra duas Parochias, ut utriusque limites attingant, ad utramque pertinebunt, juxta proportionem spatii, quod in hac, vel alia parochia accipiunt; si verò nulli appareant limites Parochiarum, tum Episcopus illas dividet, prout idoneum putarit, aut ipse pro mensa Episcopali retinebit, qui videtur sensus, ut colligitur ex cit. c. *quoniam*, sub finem. Deducitur, 2. licet alia decimæ ejusdem Parochiæ ab alia Ecclesiâ præscriptæ sint, nihilominus Parocho

deberi decimas *Novalium*, juxta c. *Cum contingat h. t.* præscriptio enim sine possessione, vel quasi, non procedit, c. 3. de reg. jur. & L. *Sine possessione. ff. de usucapionib.* & tantum quis præscribit, quantum quis possidet, L. *qui fundum. §. 1. ff. pro emptore*: sed *novalis* ager quoad jus decimandi possessus nunquam fuit, cum non esset cultus; manet igitur jus *Novalium* Parocho semper saluum.

Quæres, an, si Laico jus decimandi concedatur in feudum, id etiam extendatur ad decimas *novalium*? R. quod non exc. *Tua. 25. §. ne occasione*, ibi: ne occasione decimationis antiquæ (licet in feudum decimæ sint concessæ) sunt decimæ *novalium* usurpandæ, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda; & ita tradit Moneta de decimis, c. 4. num. 66. ubi dicit similem textum in c. 2. §. 2. h. t. in 6. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. de decimis, c. 2. num. 9. & c. 34. num. 4.

Quæres, 2. an privilegium de non solvendis decimis extendatur etiam ad *Novalia*? R. privilegium alicui absolute concessum, quod non teneatur solvere decimam ex propriis prædiis, extendi etiam ad *Novalia* coli cœpta, seu facta post acceptum privilegium, ita Suarez cit. l. 1. c. 19. à num. 4. Zoësius h. t. num. 541. & alii; colligitur, 1. ex c. *Ex parte*. 10. h. t. ex quo DD. communiter deducunt hanc regulam, quod Religiosi omnes privilegio in jure scripto à solutione decimarum de *novalibus*, quæ propriis manibus, seu sumptibus excolunt, exempti sint; sic Rebuffus, Moneta, & alii, quos citat & sequitur Barbosa in dict. c. 10. à num. 5. referens particularem Religionem, & eorum in hoc privilegia. Quoniam autem, quando conceditur privilegium hoc, ne Regulares teneantur solvere decimam *laborum suorum*, seu *de laboribus suis*, quidam istud verbum *de laboribus suis* exponebant, acsi diceretur *de Novalibus* suis, non autem de cœteris prædiis, quæ ipsi suis manibus, vel sumptibus colunt; Honorius III. (ut habetur in c. *ad audientiam*. 12. h. t. ibi: *asserunt, quod pro laboribus novalia intelligi debeant*) man-

mandavit, ne hoc fieri permittatur; nam, si intelligeremus, inquit, tantummodo de Novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus; clarius etiam habetur c. Ex parte. 27. eod. ubi Innocentius III. scribens ad Abbatem S. Columbae Senonen: cum tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terrae parochiarum tuarum, cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes: quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.

2600 Dixi: privilegium de non solvendis decimis ex propriis praediis, extendi etiam ad novalia, si quis ea colat propriis manibus, vel sumptibus; sed ex hoc quaestio. 3. est, an, si quis sive Clericus, sive Laicus habeat privilegium colligendi decimas ex praediis pertinentibus ad aliam Ecclesiam, privilegium pariter extendatur ad novalia intra fines talis Ecclesiae, primum nata post obtentum privilegium? videtur affirmandum ex dicto c. Ex parte. 27. h. t. relato in fine praeced. numeri, ubi Pontifex clarè videtur innuere, si cui ex privilegio licet colligere decimas antiquas in aliqua Ecclesia, à fortiori licere etiam novales; sed contrarium dicendum est, cum Covarr. l. 1. resolut. c. 17. num. 13. Suarez cit. h. t. c. 23. à num. 5. & aliis. Nam tale privilegium, salvà verborum proprietate, restringi potest ad praedia prius culta; & cum deroget juri communi, quod est in favorem Ecclesiarum; intra quarum fines praedia existunt, intelligi debet de jure decimarum, in ordine ad praedia, sive fundos jam affectos onere pendendi decimas; nedispositio restringens jus commune ultra verborum proprietatem extendatur; excipe, nisi privilegium mentionem faciat de quibuscunque praediis, etiam deinceps nascituris.

2601 Ad id, quod opponitur ex c. 27. 3. verum sensum illius c. (ut patet ex integra ipsius lectione apud Rebuffum) esse hunc, quod Abbas ille duo proposuerit Pontifici. 1. ut impetraret antiquum jus decimarum in Parochiis illis sibi, & Monasterio subiectis restitui; 2. ut declararet Pontifex in illa speciali concessione, etiam jus percipiendi decimas ex Novalibus.

Tom. III.

bus sibi, & Monasterio restitutum esse: & ad hoc respondit Pontifex, frustra hoc peti, eò quòd decimae Novalium jure communi ad ipsum Abbatem, ac Monasterium pertinebant: imò nunquam ablatae fuerunt, quandoquidem in illa speciali concessione ab Episcopo alteri facta, percipiendi decimas in alienis Parochiis, decimae Novalium non fuerunt comprehensae; cum enim talis concessio cedat in praedictum Ecclesiae parochialis, cui de jure communi competit jus decimarum, ideo non comprehenduntur in illa decimae Novalium. Quare cum Abbati concessum fuerit, quod majus est, vel potius restitutum, (videlicet jus percipiendi decimas, quod jure communi ipsi Abbati, & Monasterio competeat ratione Parochiarum incorporatarum) sed speciali jure; sive concessione Episcopi Abbati, & Monasterio ademptum fuerat: multò magis concessum censetur, quod minus & facilius est, videlicet jus percipiendi decimas Novalium, quod ei nunquam ablatum fuit, per specialem illam concessionem Episcopi: sed jure communi ad Parochias etiam spectat; quo habetur istud c. non esse nobis contrarium; cum agat de decimis Novalium non alienae Ecclesiae, sed incorporatae Monasterio.

Quaestio 4. est, qualiter intelligi debeat privilegium percipiendi decimas etiam novales, habenti jus percipiendi antiquas in certo loco concessum? 3. de hoc agi in c. Statuto. 2. h. t. in 6. ubi plura in hac materia per Alexandrum IV. constituta sunt. Primò enim statuitur, quòd privilegium illud non extendatur ad decimas Novalium, quae tempore impetrati privilegii non fuerunt ab impetrantibus possessae, sed ab alijs, nisi de his fiat mentio.

Secundò, quòd se non extendat ad decimas Novalium nisi in illis locis, in quibus habebant jus ad decimas veteres; tertio, quòd, si in illis locis, in quibus impetrantes privilegium, habent jus veterum decimarum, nascantur novalia, ex his vi privilegii non habeant jus accipiendi novales decimas alià portione, quàm qua recipiunt veteres, nimirum ita, ut habeant ex novalibus tantum tertiam, quar-

tam, vel dimidiam, si ex veteribus habuerunt talem solum portionem; ita *c. statutum*, in princip.

2603 *Quartò*, ut, si in dictis locis habebant *totas decimas veteres*, privilegium non intelligatur pariter *ad totas novales*; sed tantum ad medietatem, & non ultra, ut habetur *ibid.* §. *Statuimus*; excipit tamen Pontifex ab hoc statuto & declaratione Ordines Cisterciensium, & Carthusiensium. *Quintò*, ne liceat Religiosis etiam exemptis decimas à Laicis detentas, iisdemque infendatas, de manibus ipsorum laicorum acquirere, aut accipere sine Episcoporum consensu; habetur §. *Sanè*; ubi tamen nota, hoc non intelligi de aliis decimis, quam quæ ante Concilium Lateranense laicis in feudum perpetuò fuerunt concessæ; & quidem illis, quas laici iuste possidebant, nimirum in feudum ab Ecclesia acceptum, quale supponitur omne illud, quod est antiquius Concilio Lateranensi, de quo V. Suarez *cit. l. 1. de decimis. c. 26.* de iniuste possessis constabit in seq.

*Quintò*, ut Episcopi ad requisitionem Rectorum parochialium Ecclesiarum, super decimis, quas Religiosi habent, quæque aliàs ad ipsas spectarunt Ecclesias (nisi de rebus exemptis agatur) exhibeant iustitiæ complementum.

*Sextò*, ut iidem Regulares exempti de possessionibus acquisitis hactenus, & amodò acquirendis decimas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones prius fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure ac privilegio sint muniti.

*Septimò*, ne, si in aliquibus Parochiis omnes majores decimas sive partem illarum acquirunt de manibus laicorum, possint pro eadem, vel simili portione petere, vel percipere decimas Novalium, quæ de novo fiunt, nisi rationabilis causa subsit.

2604 *Quæstio est* 5. an, qui in aliquo loco præscripsit decimas prædiales, eo ipso etiam præscripserit decimas Novalium, postea enatarum? R. quòd non, nisi ostendat ex rationabili causa illas etiam ad se pertinere; habetur ex dict. & constat ex *c. Cum contigat. 29. h. t.* ubi Pontifex rescribit, cum perceptio decimarum ad Ecclesias parochiales de jure communi

pertineat, decimas Novalium, quæ fiunt in Parochiis earundem, ad ipsos procul dubio pertinere, nisi ab his, qui aliàs percipiunt decimas, rationabilis causa ostendatur, per quam appareat Novalium decimas ad eos pertinere; sic Rebuffus de decimis *q. 14. num. 3.* Suarez *tom. 1. l. 1. c. 21. num. 4. & alii*; quo etiam habetur, quòd Clericus præscribere possit decimas in aliena parochia, ut ex hoc textu tradit Covarr. *l. 1. variar. c. 17. num. 7.* Suarez *cit. c. 30.* hinc etiam consuetudine legitima induci potest, ut decima uni Ecclesiæ debita, alteri solvatur.

*Quæstio est* 6. an, si prædium, vel fundus obligatus ad decimas convertatur, g. ex prato in agrum, ex hoc teneatur eidem solvere decimas prædiales, cui prius solvere debebat ex illo? R. quòd sic, ex *c. Commissum. 4. h. t.* Nam, cum Monachi de Bossè Ecclesiæ parochiali decimas integrè non persolverent, mandavit Pontifex eos ad decimas de terris cultis; ubi olim domus constructa fuerunt, præfata Ecclesiæ (sicut, priusquam in ea Parochia morarentur, solebant persolvi) integrè persolvendas compelli. Porro etiam iussit de piscuis, ex quibus olim decimæ persolvebantur, nunc ad frugum fertilitatem translatis, decimas absque diminutione persolvi.

Ex hoc deducitur, quòd decima solvatur etiam ab habente privilegium novalium de agro nuper ad culturam redacto, ex quo aliquid non modicum antea percipiebatur; sic Rebuffus de decimis *q. 6. num. 4. & 35. Moneta, cod. tract. c. 4. num. 51. Azor instit. moral. part. 1. l. 6. c. 24. q. 10.* ubi etiam docet mutari quidem posse faciem agri absque consensu Ecclesiæ, dummodò sine ejus præjudicio. Hinc etiam sequitur, quòd, si domus constituitur in agro, qui erat alteri decimalis, colonum teneri ad decimam de domo, vel eam saltem, quam prius tenebatur de agro; sic Rebuffus *cit. q. 8. num. 21. & alii*; quia non debet prædicare juri quæsito alteri.

*Quæstio. 7.* est, quid dicendum in casu, quo fundus, qui erat *ager*, conversus est in *vineam*, si per consuetudinem inductum sit, ut decimæ ex vineis debeantur Ecclesiæ A; ex agris, Ecclesiæ B.

an

an in hoc casu Ecclesia B. amittat jus decimæ, cum fundus illi antehac obligatus defierit esse *ager*? videtur enim affirmandum, quia Ecclesia A. habet jus decimarum *ex vineis omnibus* in tali loco. Sed dicendum in hoc casu decimas ex vinea, facta ex agro, deberi priori Ecclesie; tametsi enim qualitas fundi mutata sit; substantia tamen eius eadem est; & onus decimarum incumbit fructibus ex tali fundo, neque per hoc derogatur juri Ecclesie, *per consuetudinem* quæsito ad decimas *ex vinea*; nam illa consuetudo non plus tribuit, quam per illam possederit; hanc autem novam vineam ante non possedit; ergo; sic *gloss.* in c. *Auditis*. 15. de *prescript.* V. *interruptionem*, & Abbas in c. *Cum intra*. 30. *h. t. num.* 3. aliud est, si quis habeat tale jus ex transactione juxta c. 3. *h. t.* vel privilegio, generatim, ac indefinitè concessio percipiendi decimas *ex vineis*, quia tunc generaliter datur jus decimarum ex vineis in tali loco etiam futuris juxta c. *quia circa*. 22. de *privileg.*

Cum enim Archiepiscopus Londonensis, Sedis Apostolicæ Legatus, ex Innocentio III. quæsiuisset, utrum Monachi omnium sanctorum privilegium, prædecessoris sui, super Episcopalibus decimis retinendis indultum, extendere valeant ad possessiones acquisitas, & postmodum acquirendas? respondit Innocentius, quod si decimarum illarum remissio facta extitit *secundum canonicas sanctiones*; prædecessor ejus indefinitè decimas Episcopales monasterio remittendo (cum nihil exceperit, & potuerit exceperisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso jure censerit) intellexisse videatur, non solum de decimis possessionum illius temporis, sed futuri, de quo plura V. lib. 5.

S. 4.

A quo solvi debeant decime?

2607 **R**egula generalis est, omnes Christi fideles, seu baptizatos, qui in spiritualibus subiecti sunt alicui Parocho, seu Sacerdoti proprio, & à quo Sacramenta re-

cipere debent, per se, & ex debito personali obligari, ad decimas solvendas, nisi legitimo aliquo titulo, seu jure sint exempti, *S. Thom.* 2. 2. q. 87. a. 1. & 4. Suarez *cit. tom.* 1. l. 1. c. 16. & Canonistæ communiter; & constat ex c. *Transmissa*, c. *à nobis*. 24. *h. t.* ibi: *cum igitur quilibet decimas solvere teneatur nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*; sic Innocentius III. in *cit.* c. 24. Dupliciter autem nasci potest hæc obligatio. 1. ratione personæ, quæ subiecta est alicui Ecclesie, vel Parocho, quatenus in spiritualibus ejus pastoralis cura subjicitur; 2. ratione rei, intra fines talis Ecclesie, seu Parochie existentis.

In particulari autem etiam Clerici, & 2608 personæ Ecclesiasticae per accidens obligari possunt ad decimas reales, nimirum ratione rei, quæ, antequam ad eas perveniret, subiecta erat oneri decimarum; quia res transit cum onere; 2. si possideant bona, vel prædia titulo laico, vel temporali; non autem personales, nisi ipsi in aliqua Ecclesia parochiali recipient Sacramenta, & alia spiritualia. Utrumque colligitur ex c. *Novum*. 2. *h. t.* ibi: *novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant; cum nusquam in lege Domini hoc legamus; non enim Levitæ à Levitis decimas accepisse leguntur. Illi profecto Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent*; ubi nota, primam partem loqui de decimis realibus, ex prædiis, quæ habent *ut Clerici*, nimirum spirituali titulo sui beneficii; secundam de personalibus, ut constat ex verbis finalibus dicti c. 2. hæc dicta sint de personis Ecclesiasticis, non Regularibus.

Qualiter autem Regulares teneantur ad 2609 solvendas decimas, constat ex dict. à *num.* 2599. nam in hoc quoad decimas reales idem dicendum est, quod de aliis, secluso speciali privilegio exemptionis, aut alio titulo liberante ab hoc onere, ut ex præmissis colligi potest. Quoniam autem in multis, onus solvendi decimas est ex determinatione juris Ecclesiastici; in illis dispensare quidem potest summus Pontifex, concedendo ex iustis causis exemptionem; non autem Papæ inferior, *jure* sub

Ffff 3

*subordinario*; cum nemo inferior tali jure dispensare possit in lege superioris. *Exemptio* autem alia est de jure communi, nimirum comprehensa in corpore juris Ecclesiastici, quæ dicitur generalis; alia particularis, & extravagans, seu extra corpus juris, concessa per Bullas, vel oracula, de quibus in præfenti non agimus.

2610 Dicendum igitur, i jure communi Monachos, & alios Clericos Regulares exemptos esse ab onere solvendi decimas non modò personales, sed etiam reales de prædiis, quæ ipsi vel suis manibus, vel sumptibus colunt, ut constat ex dict. à n. 2599. Quamvis autem hoc privilegium olim restrictum fuerit ad solos Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios; aliis autem Religiosis concessum solum fuerit, ut de Novalibus suis, & quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant: aliqua tamen circa illud immutata sunt. Nam privilegium illorum trium Ordinum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. restrictum fuit, ut intelligatur de prædiis, quæ ante Concilium Lateranense possederunt; de his verò, quæ postea acquisiverunt, si prius, quàm ad eos transfrent, subjecta fuere oneri decimarum, & ipsi solvere teneantur, ut constat ex c. *Nuper*. 34. h. t.

Cum enim Abbates Cistercienses in Generali Capitulo, à Pontifice moniti, statuissent, ne fratres Ordinis sui emant possessiones, de quibus decimæ debentur Ecclesiis, nisi pro fundatione novorum Monasteriorum; tum autem ejusmodi possessiones decimales dentur aliis, qui decimas persolvant; decrevit porrò Pontifex, ut de alienis terris etiam deinceps acquirendis, etsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, dicti ordines decimas persolvant Ecclesiis, quibus ante persolvebantur, nisi aliter cum illis conventum fuerit; post quod subjungitur: *Et hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus*: ut Ecclesiarum Prelati promptiores, & efficaciores existant ad exhibendum eis, de suis malefactoribus justitiæ complementum, eorumque privilegia diligentius & perfectius studeant observare.

Ex hoc textu deducitur. 1. decimas prædiales à Regularibus privilegiatis solvendas esse ex illis prædiis, quæ post Concilium Generale Lateranense III. acquisiverant, & quoad hujusmodi bona, privilegia omnium Religiosorum esse revocata: non item quoad bona acquisita, ante Concilium Lateranense, circa quæ constitutio ista nihil mutavit, ut à sensu contrario colligitur, & notat Abbas hic *num. 2. not. 3.* unde in illis adhuc hodie locum habet privilegium concessum Cisterciensibus, & aliis in cit. c. *Ex parte*. 10. h. t.

Deducitur. 2. hanc revocationem quoad prædia post CC. Lateranense acquisita non debere intelligi de omnibus ejusmodi prædiis; sed iis tantum, ex quibus ante solvebatur decima; constat ex claro textu dicti c. *nuper*, ibi: *ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiæ alterius prægraventur*: decernimus, ut de alienis terris, & amodò acquirendis, etiam si persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.

Deducitur. 3. cum cit. c. *nuper* solum loquatur de decimis prædiorum, quæ Regulares post CC. Lateran. acquirunt, solvendis etiam ab ipsis, si prius huic oneri subjecta fuerant, licet ipsi ea colant suis manibus, vel sumptibus: privilegio concesso in c. 10. h. t. de quo *supr.* per istam constitutionem c. 34. non derogari quoad alia in illo contenta, nisi quoad exemptionem non solvendi decimas ex prædiis acquisitis post Concilium Lateran. licet ea suis manibus, vel sumptibus colant; adeoque non derogari exceptioni à non solvendis decimis suorum novalium, hortorum, animalium, quæ ipsi nutriunt.

Præter dicta not. 1. privilegium eximens Regulares, vel alios à solutione decimarum de suis prædiis, quæ ipsi suis manibus, vel impensis colunt: non extendi ad prædia, quæ habent solum ex conducto, habetur in c. *dilecti*. 8. h. t. ibi: *nec fuit intentionis nostræ, aut antecessorum nostrorum, ut de possessionibus, quas conduxistis, decimas non solvatis*: mandamus, quatenus de prædiis, que conduxistis in paræciis suis, de quibus consueverunt decimas percipere, plenarie solvatis eisdem, vel cum ipsis am-

habilitate componatis; sic Honorius III. Monachis de Nevelan.

2615 Not. 2. dictum privilegium jure communi Regularibus concessum super non solvendis decimis ex suis prædiis, quæ ipsi colunt suis manibus, & impensis, non habere locum, quando ejusmodi prædia tradunt aliis excolenda, c. Licet. 11. h. t. ibi: licet de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimasolvere teneamini, propter hoc tamen non est licitum vobis, decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas; ubi not. culturam, quam alii præstant, hic non intelligi merè ministerialem, quæ sit per operas conductas impensis Regularium; sed sumptibus eorum, quibus colenda traduntur, in primo enim casu proprie ipsi Regulares dicuntur ea excolere suis sumptibus.

§. 5.

Qualiter acquiratur jus decimandi, & immunitas ab onere eas solvendi?

2616 **Q**uestio. 1. est, an jus decimarum percipiendarum possit acquiri consuetudine legitime præscripta a Clerico? R. quod sic, colligitur. 1. ex c. 18. h. t. ubi, cum dubitaretur, an Colonusolvere teneatur decimam Ecclesiæ, in cujus parochia sita sunt prædia; an Ecclesiæ, ubi audit divina, & percipit Ecclesiastica Sacramenta? respondit Pontifex: in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum; & c. 20. eod. ibi: decimas messium, vel fructuum arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur) tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum. Ex his juribus habetur, ex consuetudine posse decimas uni Ecclesiæ alias debitas alteri adscribi; & solvi; sic Covarr. l. 1. variar. c. 7. num. 8. & alii. Unde generaliter, quod in solvendis decimis consideranda sit consuetudo, docet Vivianustom. 1. commun. opin. l. 1. tit. 10. num. 15. pag. 187. Gutier. practic. l. 1. q. 19. num. 3. Circa tempus, ut talis con-

suetudo dicatur præscripta, variant aliqui, volentes, sufficere decennium, si Ecclesiæ propria (in qua v. g. colonus percipit divina) præscribat contra Ecclesiæ propriam, in qua sita sunt prædia; si non propria contra propriam, 40. annos cum titulo; sine hoc, tempus immemorabile. Sed hoc resolvi potest ex lib. 2. tit. 26. de præscript. illud not. in textu c. 20. dici, illud in hoc casu eligendum, quod per consuetudinem diu obtentam constat esse observatum; casus autem ibi erat de dubio, cui ex duabus Ecclesiis debeantur decimæ prædiales, in parum una sunt prædia; & colonus habitat, percipitque Sacramenta in altera.

2617 **Q**uestio est. 2. an, qui præscripsit jus percipiendi decimas in certa terra, vel fundo, censetur etiam præscripsisse jus percipiendi decimas ex omnibus fructibus, qui in terra, vel loco illo nascuntur? affirmativam sequitur Pirhing h. t. num. 118. dicens, id decisum in c. Cum in tua. 30. h. t. ubi Episcopus Beluacensis petivit per Sedem Apostolicam edoceri, utrum decimæ fructuum prædictorum ad parochiales Ecclesias, quæ nec minores recipiunt, nec minutas, ad monasteria, & illas conventuales, quæ decimas alias percipiunt, ab antiquo, debeant pertinere? cui respondit Pontifex affirmativè, deberi Monasteriis, cum ab antiquo terra illi ipsi fuerit decimatis. Sed in hoc textu nullum verbum habetur de præscriptione, ut notavimus sup. & observat Wagnereck in dist. c. 30. in exegeesi. Quousque autem præscriptio, si quæ facta sit, se extendat, jam diximus in præced.

2618 **Q**uestio est. 3. an jus percipiendi decimas acquiri possit transactione, seu amicabile compositione inter Prælatos, & Rectores Ecclesiarum; constat. 1. ex c. Ex multiplici. 3. h. t. ubi dicitur: conventionione de decimis per partes jam facta, si altera pars obtineat privilegium à Papa, non facta mentione de conventionione, standum esse conventioni, non privilegio; quia Papa per privilegium non intendit derogare conventioni, quam non expressit deinde ex c. Suggestum. 9. eod. ubi, postquam ex una parte suggestum esset, quod quidam Abbas cum fratribus suis Monasterii de Ursin: ipsis decimas auferre vellet, Pontifex mandavit, quatenus cum prædicto Ab-

Abbate & fratribus super ipsi decimas componant; nam quando Romana Ecclesia Ordini illorum privilegia, de decimis dederat, ita erant rata Abbatiæ eorum ordinis, quòd exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri. Ex hoc etiam habetur, per privilegium exemptionis à solvendis decimis, non derogari conventioni, vel transactioni, quæ inter partes prius intercessit, nisi in privilegio fiat mentio de tali transactione, vel conventionem, ut constat ex dicto c. 3. ibi: *quia non fuit nostræ intentionis per privilegium nostrum conventioni derogare prædictæ*: mandamus, quatenus Abbatem, & Monachos, ut eandem conventionem (non obstante dicto privilegio, nisi de ipsa contineatur in eo) inviolabiliter teneant, & observent, vel exinde secum pacificè conveniant, appellatione postposita compellatis; sic Hadrianus Papa Episcopo Herfordensi.

2619 Præter dicta not. 1. super jure decimarum posse in Arbitros compromitti, c. 7. de his, quæ fiunt à Prælato, ibi: *cum ex una parte Capitulum S. Stephani, & ex altera Monachi de Platea, super decima quadam in vestrum compromissent arbitrium*; modò Arbitri non pronuntient, ut, cum ceduntur decimæ quoad jus spirituale, alter vicissim reddat temporale; nam hoc arbitrium reprobat in c. *Exhibita. fin. de Rerum permutat.* Not. 2. jus decimarum unius Ecclesiæ cum jure decimarum alterius Ecclesiæ, posse permutari; constat ex dicto c. *Exhibita*, ubi talis permutatio reprobat, si ex una parte aliquid spirituale, ex altera quid temporale intervenit; quamvis alii existiment ibi non fuisse datum temporale pro spirituali, seu jure decimarum, sed solum propter bonum pacis.

2620 Not. 3. jus percipiendi decimas posse sumi materialiter, & formaliter; *formaliter*, & propriè, prout explicat jus annexum officio spirituali percipiendi decimas tanquam debitum in decentem sustentationem pro ministerio spirituali; *materialiter* verò, prout explicat præcisè jus percipiendi decimas ex tali loco; unde, cum quaritur, an jus decimarum Ecclesiasticarum vendi, vel locari possit? respondetur, si sumatur formaliter, & propriè, non posse; sic enim spirituale pro temporali commutaretur, contra c. *Exhibita*,

cit. secus, si sumatur merè materialiter, propter rationem contrariam; quamvis locatio rectius fiat, locando solam comoditatem, de quò V. dicta à num. 1257. hæc ad. 1. partem initio propositam.

Ad alteram, qualiter acquiri possit immunitas à solvendis decimis? R. acquiri posse primò per privilegium alicui concessum à Sede Apostolica, ut constat ex dicto à num. 2895. deinde legitima præscriptione, ut offendimus à num. 2616; tertio transactione inter Clericos; juxta dicta num. 2618. In contrarium videtur esse, quòd nec privilegium, nec præscriptio, aut transactio prævalere possit adversus id, quod est debitum lege divinà; debitum autem decimarum Ecclesiasticarum est ex lege divinà, ut habetur pluribus locis citatis in præmissis, & c. *aliquibus. 32. h. t. §. fin.* ubi dicitur, quòd domini prædiorum cogi possint, ut prædia colenda dent talibus, à quibus sine contradictione Ecclesia possit decimas consequi, & causa hujus redditur: *quia ille decimæ debentur ex lege divinà*, vel loci consuetudine approbata.

Ad hujus resolut. not. 1. debitum decimarum, in quantum fundatur in jure divino, esse ex eo, quod Ministris Ecclesiasticarum præstanda sit decens sustentatio; hoc enim præcipit jus naturale, & divinum, ut sæpius jam ostensum est. Not. 2. Ecclesias, & Parochos, seu illarum Rectores posse dupliciter considerari. 1. si aliunde ex proventibus Ecclesiasticis de necessaria, & sufficiente sustentatione illis provisum sit; 2. si secus; quibus positis: R. verum esse, quòd nec privilegium, nec transactio, præscriptio, vel consuetudo etiam immemoralis prævalere possit adversus debitum lege divinà, secundum quod est debitum lege divinà; bene autem, secundum quod est debitum lege solum humanà, vel consuetudine loci approbata; hinc distinguo min. debitum autem decimarum Ecclesiasticarum est ex lege divinà, secundum quod decimæ necessariæ sunt ad sufficientem sustentationem Ministris Ecclesiæ, quibus aliunde de proventibus Ecclesiasticis non est satis provisum, C. *secus. N. min. dist. cons. 7.* ergo nulla præscriptio, transactio, consuetudo, vel privilegium prævalere potest adversus debitum decimarum, secundum quod



quod est sub lege divina, C. secundum quod est solum sub lege Ecclesiastica, vel loci consuetudine approbata, N. conseq. debitum autem decimarum, quoad quotam, vel quando aliunde sufficienter provisum est Ministris Ecclesiarum, est solum sub lege Ecclesiastica, vel consuetudine, ut constat ex dictis; & §. *fin. c. fin. c. 32. ergo.*

2623 Præter hæc not. 1. immunitatem à solvendis decimis, à personis privatis non tantum Ecclesiasticis, sed etiam Laicis, præscribi posse; nam aliud est, præscribere jus decimarum, illud acquirendo; aliud contra jus decimarum Ecclesiasticarum, ab illo, ac ejus obligatione se liberando; primum omnino negatur Laicis non tantum privatis, sed etiam Communitatibus Laicorum; secundum autem nullo jure negatur Laicis, cum immunitatem ab obligatione juris, quantumvis spiritualis, possidere valeant; & possessione legitime continuatâ per tempus jure definitum obtinere possint; ex dict. *l. 2. tit. 26.* Sic Laicus, subiectus Ordinario A. præscriptione obtinere potest immunitatem à subjectione translative, nimirum, ut non amplius illi, sed alteri subditus sit.

2624 Quod diximus de personis privatis (ipsas posse immunitatem à solvendis decimis obtinere præscriptione legitima) procedit etiam de Communitatibus; ratio est eadem. Quoad tempus tamen possessionis in casu, quo præscribunt privati, & quo Communitates, variant DD. In præscriptione privatorum requirit Pithing *h. t. num. 129.* cum bona fide tempus 40. annorum cum titulo; sine titulo tempus immemorabile: in præscriptione Communitatum, quæ sit sciente, & tolerante Papâ, *num. 131.* censet obligationem tolli per conniventiam, cum consensu saltem tacito illorum, quorum interest: ignorante autem Papa, requirit cum bona fide, sine alio titulo, annos 40.

2625 Circa hoc, quantum pertinet ad id, quod dicit de bona fide in casu hujus præscriptionis, quæ directe non tendit ad acquirendum, sed solum se liberandum ab onere obligationis, videtur dicendum, non exigi bonam fidem, qua quis credat, se non teneri; sed sufficere illam, qua quis non præstet debitum sciente, ac patiente domino, ut diximus *l. 2. tit. 26.* deinde,  
Tom. III.

non exigi etiam alium titulum; cum cum non requirat præscribente Communitate, ut constat ex *preeced. num.* Tempus autem sufficere, quando præscriptio fit ignorante Papâ, quod requiritur, & sufficit ad præscriptionem contra Ecclesiam, de quo egimus *l. 2. tit. 26.* si autem fiat sciente, ac non contradicente Legislatore, sufficere id, quod necessarium, & sufficiens est ad abrogandam legem per consuetudinem contrariam, sciente, ac tolerante Legislatore, de quo V. dicta *l. 1. tit. 2.*

Not. 2. quamvis verum sit tam à personis privatis, quam Communitatibus præscriptione legitima posse obtineri immunitatem à solvendis decimis, quando aliunde de proventibus Ecclesiasticis sufficienter provisum est Ministris Ecclesiæ de justa sustentatione; id tamen non procedere mutato rerum statu, si deficerent ea, ex quibus aliunde de bonis Ecclesiasticis sufficienter provisum fuit. Nam pro tali casu debitum decimarum fundatur in lege naturali, & divina; id, quod aperte habetur in c. *Statuto. 2. h. t. in 6. §. ubi autem,* relato superius. Quod autem nemo per potestatem Laicam eximi possit ab onere solvendi decimas Ecclesiasticas, clare constat ex c. *Tua nos 25. eod.*

§. 6.

De decimis Laicalibus.

NON agimus hic de jure decimandi, seu percipiendi decimas Ecclesiasticas, titulo nimirum spirituali debitas, seu annexas ministerio spirituali; hoc enim nullo titulo, etiam temporali, posse competere Laicis, constat ex dict. & habetur *16. q. 7. c. 1. ibi: decimas, quas in usum pietatis concessas esse, Canonica auctoritas demonstrat, à Laicis possideri, Apostolica auctoritate, prohibemus: sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, sciant, se sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere;* deinde c. *Ad hæc. 5. h. t.* ubi Abbas quidam laico cuidam, & ejus hæredibus decimas per donationem concessit, quam donationem Alexander III. irritam esse decrevit, quoniam Sanctua-

rium Dei (videlicet decima, quatenus est jus merè spirituale) *jure hereditario possideri non debet*: ideoque Laicum illum (nisi decimam illam ipsi Ecclesiæ liberè resignarit) vinculo excommunicationis constringendum esse.

2628 Quæstio autem est. 1. an Laici, seu conversi, nimirum Regulares, licet non sint Clerici, sint capaces juris decimarum Ecclesiasticarum? 2. an Laicis (secularibus) concedi possit jus decimarum? 3. an concedi in feudum? 4. an iidem Laici jus decimarum, si quod habent, in alios transferre possint? Ad. 1. R. affirmativè; pro quo not. esse quosdam Ordines Regulares (Templiorum, Hospitaliorum, Equitum Melitensium, Teutonicorum, &c.) in quibus professi non sunt in re Clerici, sed Laici, (nullo nimirum Ordine, vel etiam tonsurâ Clericali insigniti) 2. istos nihilominus gaudere privilegiis Clericorum, cum numerentur inter Religiosos, c. *Cum & plantare*. 3. de privileg. ibi: *comperimus, quod Fratres Templi, & Hospitalis, & alii Religiosi*; quo posito: probatur data responsio: Regulares sunt capaces juris decimarum Ecclesiasticarum; sed isti Laici sunt Regulares: ergo. Deinde c. *quamvis*. 17. h. t. habetur: *statuimus, ut si quis alicui Laico, in seculo remanenti, Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor, que inutiliter terram occupat, succidatur; & donec emendet dolore sue jaceat ruinae prostratus*; sed isti Laici, non sunt Laici in seculo remanentes; ergo.

2629 Ad. 2. R. Laicis secularibus posse concedi jus decimarum, sumptum materialiter, consideratum videlicet præciso titulo spirituali; sic enim est quid merè temporale, idque titulo conductionis, donationis, vel remunerationis, aut stipendii pro servitiis factis, vel faciendis, tradi à pluribus, ut mox dicemus, ut videri potest apud *Castropal. tom. 2. D. unica, de decimis. p. 9. num. 3.* mihi tamen videtur, à nullo Clerico decimas, quoad jus utile, concedi posse alio modo, quam concedendo commoditatem, expositam num. 1257. Nemo enim plus juris transferre potest in alterum, quam ipse habeat; Clerici autem non habent jus decimarum

alio titulo, quam ministerii spiritualis, & si quod jus transferrent decimarum in Laicos seculares, deberent in eos transferre titulo ministerii spiritualis; at hujus incapaces sunt Laici seculares; ergo in hos nullum jus transferre possunt; ergo solam commoditatem.

Quoniam verò plures Laici Ecclesiæ 2630 servitiis necessarii sunt (puta Cantores, Sacristæ, Ludimagistri, Organistæ) quibus pro suis servitiis ab Ecclesiâ, cui serviunt, debetur stipendium; si hoc eis assignetur in decimis Ecclesiæ, non constituitur eis per hoc jus propriè dictum; sed sola commoditas fructuum in stipendium, ad quod habent jus justitiæ ex contractu conductionis celebrato per Ecclesiam cum illis pro ipsorum temporali ministerio; cui satis fit præstando pensionem conventam; hanc porro licitè ac validè præstat Ecclesiâ ex suis decimis, seu fructibus (sicut ex iisdem solvit alias operas) quin ullum jus utile ipsis constituat in prædiis obligatis pendere decimas Ecclesiæ; ergo.

Ad. 3. R. qualiter bona Ecclesiastica 2631 possunt, vel non possunt locari, vendi, concedi in feudum, vel emphyteusim temporalem, vel perpetuam, de quo dictum est à num. 1157. taliter etiam in præfens discurrendum de decimis debitis Ecclesiæ. Illud hic nota, decimas Ecclesiis debitas jure hereditario concedi non posse à Prælati Ecclesiarum, c. *Adhæc*. 15. h. t. & c. *Quamvis*. 16. eod. Not. 2. si Laicis autoritate legitima concessum est privilegium percipiendi in certo loco decimas, privilegium accipiendum esse de decimis prædiorum, quæ tunc sunt; non autem eorum, quæ primò post enascuntur (ut sunt novalia primùm post enata) ut habetur c. *Tua nos*. 25. h. t. §. *ne occasione*, nisi terræ illæ prius subjectæ fuerint oneri solvendi decimas.

Ad. 4. R. Laicos, qui decimas, cætero 2632 quin Ecclesiis debitas, injustè, seu sine iusto titulo possident, nullo titulo posse illas transferre in alium sive Laicum, sive Clericum, ex c. *Prohibemus*. 19. h. t. ibi: *prohibemus, ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis verò perceperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christianâ sepulturâ privetur*. Hinc etiam Gregorius IX. in

in c. fin. eod. Interdicimus, inquit, universis personis Ecclesiasticis, ut decimas detentas à laicis ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant. Not. autem textum in dict. c. Prohibemus, non rectè accipi ab his, qui volunt ea verba (cum animarum suarum periculo) pertinere ad verbum transferre, ut sensus sit, Laicos decimam, quam detinent (sive iusto, sive injusto titulo detineant) non posse sine animarum periculo, consequenter licitè, in alios transferre. Nam hæc expositio nullo modo congruit literæ, cum expressè verba illa referantur ad ly detinentes; non autem ad transferentes in alium, ut constat ex ipso textu, ibi: ne Laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes.

2633 Ex hoc habetur, textum illum procedere solùm de casu, quo decimam injustè detinent. Unde si Laici iusto titulo (nimirum legitimi superioris Ecclesiastici auctoritate) decimas habeant in feudum perpetuum, licitè illam in alios, etiam Laicos transferunt, ut tenet gloss. in dict. c. Prohibemus. V. Laicos. Gutierrez præf. l. 1. c. 15. num. 1. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 26. num. 7. resolventes, huiusmodi Laicos posse de illis disponere, sicut de quibuscunque aliis bonis suis profanis per donationes, venditiones, emphyteusim, & similes contractus; quia postquam in laicos licitè fuerunt alienata, efficiuntur de ipsorum patrimonio, & ut profana bona censi debent, juxta reg. textus in L. pater filium. 36. §. quindecim. ff. de legatis. 3. & magis ad nostrum propositum textus in c. 2. de feudis; intellige tamen, nisi aliud in investitura cautum sit.

2634 Præter hæc not. tradi à Pirhing h. t. n. 145. si Laicus decimas injustè detinens induci non possit, ut eas restituat Ecclesiæ, ad quam pertinent, posse illum eas transferre in Clericos, vel Religiosos, aut aliam Ecclesiam, sed dependenter à consensu Episcopi; habetur in c. Cum Apostolica. 7. de his, quæ fiunt à Prælato, ibi: Monendus est Laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat; qui, si fortè induci nequiverit, & eam cum diœcesani con- Tom. III.

sensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim religioso conventui: constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixâ. Auctoritates enim præmissæ, licet diversæ sint, non tamen adversæ: cum aliud sit alienare, quod ab Ecclesia possidetur: & aliud, quod detinetur à Laico, ad usum Ecclesiasticum revocare. Sed nota in fine cit. c. 7. subijungi: hoc autem (quod in tali casu revocationis decimarum sufficiat consensus solius Episcopi sine consensu Clericorum) de illis decimis intelligimus, quæ Laicis in feudum perpetuo sunt concessæ; quo habetur, olim decimas à Laicis detentas auctoritate solius Episcopi potuisse à detentore dari Ecclesiis aliis ab ea, ad quam aliàs pertinebant; an autem etiam id procedat etiam nunc? dicemus in seq.

Quia verò ibidem contra hoc ipsum op. 2635 ponebatur, quòd in tali casu non sufficiat consensus Episcopi sine Clericorum consensu, auctoritate Leonis Papæ dicentis: ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ, quidquam donare vel commutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri consensu atque tractatu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum: respondit Innocentius III. cit. c. 7. in alienatione, juxta Leonis Papæ decretum, consensum Episcopi sine Clericorum consensu non sufficere; in revocatione autem juxta scripturam Hieronymi (scribentis ad Damasum si aliquando fuerint à laicis malè detenta, quæ divini juris esse noscuntur, & in usum transferint Monachorum, Episcopo loci præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate subnixâ) sufficere consensum Episcopi, cum per utrumque utilitati Ecclesiæ consulatur. Nam & in Lateranensi Concilio est inhibitum, ne quælibet religiosa persona Ecclesias & decimas de manibus laicorum, sine consensu Episcoporum recipiat: per quod indirectè datur intelligi, quòd sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere laicorum.

His adde, quòd, ut notavimus ex textu 2636 num. 2643. in dict. c. 7. sermo sit de feudis, ab antiquo, nimirum ante Lateranense

nense CC. ut notant communiter DD. *con-*  
*cessis Laico in feudum perpetuum*, con-  
sequenter iuste detentis à tali laico; adeo-  
que textus affirmans, quòd de solius Epi-  
scopi consensu à Laico donari possint illa  
decimæ aliis ab Ecclesia, cui aliàs debe-  
bantur, non fit intelligendus de laicis de-  
cimas illas *injustè* detinentibus, ut vult  
Pirhing relatus à nobis num. 2634. sed  
etiam, ubi iuste detinent, seu possident,  
utpote possessis in feudum Ecclesiæ autho-  
ritate, id, quòd etiam habetur in *c. statu-*  
*to. 2. h. t. in 6. §. Sanè, in fine.*

2637 Dubitari potest, an Laici decimas, an-  
te CC. Lateranense sibi legitime conces-  
sas in feudum perpetuum, possint *sine*  
*consensu Episcopi* dare Religiosis, vel  
aliis Ecclesiis, saltem exemptis, *tametsi*  
*Laici dicant, quòd ejusmodi decimas*  
*in feudum acceperint à talibus Religio-*  
*sis, vel Ecclesiis?* R. quòd non, ex di-  
cto §. Sanè, ibi: *Sanè, quavis forte*  
*à religiosis exemptis & aliis fiant in-*  
*feudationes de decimis detentis à lai-*  
*cis, & idem laici, quòd illas ab ipsis re-*  
*ligiosis in feudum teneant, recognoscant,*  
*non tamen licet religiosis eisdem, post*  
*talem infeudationem, vel recognitio-*  
*nem, sic de facto præsumptam hujus-*  
*modi decimas de manibus laicorum*  
*ipsorum acquirere, vel recipere abs-*  
*que diocesanorum Episcoporum as-*  
*sensu.*

2638 Not. 2. quando in *c. Interdicimus* (re-  
lato supra) prohibetur, ne Laici deci-  
mas, quas possident, dare possint in pi-  
gnus; nec eas taliter ullus, etiam Eccle-  
siasticus recipere, dictum hoc posse du-  
pliciter intelligi; primò de decimis inju-  
ste detentis; & in hoc intellectu nec de  
consensu Episcopi oppignorari possunt;  
cum sic sint res alienæ, quæ in pignus da-  
ri non possunt, *L. 6. C. quæ res pign.*  
*oblig. poss.* Secundò, si iuste possident  
titulo feudi perpetui concessione sibi fa-  
cta ante Concilium Lateranense; & in  
hoc intellectu, cum Episcopi diocesani  
consensu oppignorari posse (citra peri-  
culum alienationis) deducitur ex num.  
1157. tertio, si quidem iuste possideant  
in feudum, sed concessum post Latera-  
nense; & in hoc intellectu videtur etiam  
cum Episcopi consensu non posse oppi-

gnorari; quia textus concedens ejusmo-  
di decimarum donationes, vel translatio-  
nes in alios, cum consensu *solius* Episco-  
pi diocesani, semper restringit ad feuda  
*perpetua* decimarum concessa ante Con-  
cilium Lateranense.

§. 7.

*De Judice causarum super decimis, &*  
*pœnis recusantium solvere de-*  
*cimas.*

Cum quandoque contingat, Ecclesi. 2639  
debitas, & hi, qui tenentur eas præstare,  
reluctentur, aut omnino se opponant,  
prima quæstio est, coram quo Judice tales  
debeant conveniri? ante resolut. not. Pa-  
rochum non posse auctoritate suâ deci-  
mas non solutas per vim accipere, cum  
Parochianus, antequam solvat decimas,  
sit dominus stirorum fructuum; non igitur  
privari dominio posse auctoritate pa-  
rochi, utpote carentis jurisdictione foren-  
si coactiva, seu punitiva in foro externo;  
nec eo titulo (antequam delictum per sen-  
tentiam sit declaratum) posse illi publicè  
negare Sacramenta, quia usque ad illud  
tempus non censetur delictum publicum,  
& indubitabile; cum possit habere ratio-  
nem aliquam, qua à solutione decima-  
rum excusetur: negatio verò publica Sa-  
cramenti requirit necessariò delictum  
commissum constare vel evidentiâ facti;  
vel juris; ita Suarez *cit. l. 1. c. 38.*  
*num. 8.*

Not. 2. Parochum posse decimam re- 2640  
cuperare actione personali contra injustè  
renuentem solvere decimas, præter-  
quam quòd talis etiam per censuras cogi  
possit, ut debitum præstet. Coetèrum  
si Parochus actionem instituat contra de-  
bitorem decimarum, difficultas est, an  
id possit apud Judicem secularem? Ad  
quod ex alibi dictis, præferim *l. 2. §. sub*  
*distinctione: si causa decimarum sit fa-*  
*cti, & non juris, eò quòd non agatur,*  
*an debeatur decima? sed an debita de-*  
*cima soluta sit, vel non soluta?* pote-  
rit Ecclesia, tam coram Judice Ecclesia-  
stico, quam coram seculari Magistratu  
debitorem suum laicum, non Clericum,  
conve-

convenire; quia illa causa est mixti fori; sic Rebuff. tract. de decimis, q. 12. num. 3. & q. 10. num. 39. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. de divino cultu, c. 38. num. 16. in fine; Fagundez de quinto Ecclesie precepto, l. 3. c. 5. num. 2. Covar. pract. quest. c. 35. num. 2. at si causa sit juris; quia videlicet tractatur de jure, quo decimæ debentur, de expensis, quibus est solvenda, de loco, de quantitate, de qualitate, & similibus: certum est, solum coram Ecclesiastico Judice hoc jus Ecclesiam recuperare posse; quia solus Judex Ecclesiasticus est Judex competens, eo quod illa sit causa spiritalis; sic Castropalaus tom. 2. de decimis, D. unica, p. 15. à num. 5.

2641 Præter hæc not. causam possessoriam decimarum, etiam si nihil proprietatis habeat, esse causam Ecclesiasticam, per Clement. Unicam, de caus. possess. & Clem. unic. de sequestrat. possess. & fruct. ita Covarruvias pract. quest. c. 35. à num. 1. id, quod certissimum esse confirmat Castropalaus cit. num. 8. qui num. seq. contra Fagundez l. 3. in 5. precept. Ecclesie, c. 5. à num. 11. (docentem, Conductorem decimarum Laicum, si non solvit pretium conductionis, posse conveniri coram Judice Laico, vel Ecclesiastico) docet, debere tantum coram Judice laico; quod rectè procedere videtur, si constat de debito, nec discutienda est causa debiti; vel Laicus reconveniat Actorem Clericum, saltem in sententia eorum, qui talem reconventionem fieri posse negant; de quo egimus l. 2. ex professo.

2642 Quæ spectant ad alteram partem tituli hujus §. de poenis recusantium præstare decimas, etsi pleraque jam dicta sint, not. tamen. 1. in c. per venit. 5. c. adhuc. 15. c. ex parte. 21. c. Tua nobis. 26. c. In aliquibus. 32. & Clement. 2. de Judic. recusantes solvere decimas, quas debent, discerni esse excommunicandos; quod tamen intellige, præviâ monitione canonica; quam poenam confirmat Tridentinum sess. 25. c. 12. de reformat. iis verbis: qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: neque ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur. Verum hoc intellige,

ne prius absolvantur, quam satisfaciant, si possint; nam absolutio negari non debet ei, qui impotens est solvere, si promittat, & juret, se soluturum, ubi potuerit; quia Concilium præsumi non potest velle denegare Sacramenti absolutionem ei, qui in culpa non est non restituendi; quod etiam dicendum est, si eis decimarum solutio remissa sit ab eo, cui debebantur; ita Sanchez in Decal. l. 2. c. 20. num. 19. Navarr. c. 17. num. 59. & c. 21. num. 32. Azor p. 1. l. 7. c. 37. q. 9. & alii.

Not. 2. eos, qui decimas, quas debent 2643 solvere, injustè detinent, nec Ecclesia, ad quam spectant, restituunt, Christiana sepulturâ privari debere, c. prohibemus. 19. & gloss. fin. h. t. Not. 3. in Clem. Religiosi, de decimis, in Regulares, qui nec habent beneficium, nec administrationem, ferri excommunicationem ob quatuor causas. 1. si absque justo titulo sibi decimas, aut primitias Ecclesiis debitas acceperint, & usurpaverint; 2. si servis suis prohibuerint decimas solvere ex gregibus, & rebus suis; 3. si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur Ecclesiis, non solverint; 4. si prohibuerint, aut non permiserint servis, & colonis solvere decimas ex terris, quas ipsi eis colendas tradunt. Sed not. hanc censuram non incurri, non præmissâ monitione, factâ à parte, cui decimæ debentur; 2. non procedere de decimis, quæ debentur particularibus personis; sed illis, quæ Ecclesiis, ut tradit Toletus, & Suarez apud Castropalaum cit. p. 14. num. 2. demum, si id agant, secluso justo titulo; non autem secus.

Not. 3. in Clement. Capientes, de pœ. 2644 nis, excommunicari quosvis Regulares, cujuscunque Ordinis, qui in concionibus, vel aliis in locis aliqua tractant, ex quibus moventur audientes, ut decimas debitas non solvant; item eosdem, qui poenitentes scienter non obligaverint decimas solvere, & ex alia parte postea, cum possint, non emendaverint factum, audentque potius in publicum concionari, non habere obligationem: demum in Bulla Coenæ, clausulâ 17. in omnes exigentes, usurpantes, occupantes, sequestrantes decimas, redditus, & proventus beneficiorum, & adversus auxilium ad id

præstantes, quando ea faciunt, quasi sibi deberentur. De his plura Suarez *D. 23. de Censuris, sect. 5. num. 37. & D. 31. sect. 6. a num. 12.*

## ARTICULUS II.

*De Primitiis, & Oblationibus.*

2644 **Q**uæstio est. 1. quid sint *Primitiæ*?  
 R. quod sint primi fructus, ex agro suscepti, qui Deo offeruntur. Fuere in usu apud veteres Romanos, qui (ut scribit Plinius *lib. 18. c. 2.*) non gustabant novas fruges, aut vina, donec sacerdotes primitias libassent. Deinde in lege veteri Deuter. 26. jubentur Hebraei dare primitias: *tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.* In lege gratiæ est præceptum de primitiis solvendis, ut habetur ex c. *Decimas. 16. q. 7. c. revertimini. 16. q. 1. & juxta Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 8.* notandum autem, primitias non intelligi à dignitate, ut debeant esse *optimi* fructus, sed *ordine temporis*, ut debeant esse illi, qui primò colliguntur.

2645 **Q**uæstio est. 2. qualiter *primitiæ* distinguantur à *decimis*? R. cum Lessio *l. 2. c. 39. num. 30.* distingui ex eo, quia illæ sunt primi fructus, decimæ sunt decima pars fructuum: deinde, quia primitiæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ: mediâtè verò, & secundario cedunt in usum ministrorum: decimæ proximè, & immediâtè dantur sacerdotibus in stipendium sustentationis, ob ministerium spirituale; his præmissis:

2646 **D**ubitatur. 1. quo jure fideles teneantur solvere primitias frugum? 2. in qua quantitate? 3. cui? Ad. 1. R. in lege Evangelica olim fuisse præceptum juris solum Ecclesiastici, solvendi primitias sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ; colligitur ex c. *Præter. 6. dist. 32.* ibi: *Præcipimus, ut decimæ, & primitiæ, seu oblationes vivorum, & mortuorum Ecclesiis Dei, fideliter reddantur à Laicis,* & ut in dispositione Episcoporum sint, quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communionem separentur; sic Alexander II. & Gregorius VII. in *CC. Lateran. re-*

*lato 16. q. 7. c. decimas.* 1. ibi: Oportet autem congruentias, nos decimas, & primitias, quas jure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere: quas fideles Domino præcipiente offerunt, juxta illud vaticinium Malachia: Propheta: *Inferre omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Cæterum, ut notat Azor *p. 1. l. 7. c. 27. q. 3.* Suarez *cit. l. 1. c. 8. num. 16.* hodie hæc obligatio solvendi primitias, in plerisque locis per desuetudinem est abolita; quia cum principaliter ab Ecclesia fuerit decreta, propter competentem sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, idè, si illis aliunde, nempe ex decimis, & aliis oblationibus fidelium necessaria alimenta non desint, nihil verat, quò minus per contrariam consuetudinem obligatio solvendi primitias potuerit abrogari; ex quo etiam habetur ad 3. cui *primitiæ* olim solvi debuerint.

Ad alteram partem, de *oblationibus*, 2647  
 quæritur. 1. quid, & quotuplex sit oblatio? 2. in quem finem fiant? 3. ex quibus rebus fieri possint? 4. an sint sub præcepto? 5. an acceptare illas liceat, quando fiunt à personis crimine infectis? 6. an eas acceptare possint Laici? 7. quæ sit poena detinentium oblationes? 8. ad quem pertineant oblationes factæ sacris imaginibus? Ad. 1. R. nomen *Oblationis* sumi posse tribus modis. 1. latè pro omni oblatione ad divinum cultum facta; & sic comprehendit etiam decimas & primitias; 2. pro omni eo, quod sive donatione inter vivos, sive mortiscausâ, aut alia ultima voluntatis dispositione Ecclesiis, vel piis locis à fidelibus offertur. 3. strictè pro eo, quod quis vel per se, vel per Diaconum ad altare offert, aut manus sacerdotis deserit; sic Layman *l. 4. tr. 6. c. 7. an. 1.*

Ad 2. R. *decimas* offerri Deo in recognitionem supremi domini, quod sibi in res omnes reservavit; *primitias* in gratiarum actionem pro primis fructibus ejus beneficio provenientes; *oblationes* strictè, religionis intuitu, & divini cultus causâ; licet postea in usum Ministrorum Ecclesiæ cedant. Ad 3. R. oblationes fieri possè ex iis rebus, ex quibus eas facere offerenti placet. Ad 4. R. non esse sub præcepto, nisi postulet necessitas ad susten-